

B. Virginis, alteram post illud festum in honorem ss. angelorum; unde in fine hujus jejunii, præmii loco sacra Christi stigmata per Seraphim sibi impressa accepit. Ita S. Bonavent. in ejus vita. Contra vero qui se perperam excusant et varias præstendunt necessitates, cum invitatis illis non gustabunt mensam Christi.

Alter ventus austerus et aquilo, pœna est quæ jejunium frangentibus a tergo insidiatur. *Non enim leve peccatum est*, ait S. Ambrosius, serm. XXV. *indictum violare jejunium*; et serm. XXXI. *Quisquis Christianus consecratam jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis et contumaciæ reus tenebitur*; et serm. XXXVII. *Quadragesimam in totum non servare sacrilegum est; ex parte violare peccatum est*; et Sanctus Augustinus, serm. LXII. de tempore ait: *Alio tempore qui jejunit, accipit indulgentiam: in quadragesima qui non jejunit, sentiet pœnam*: sanctus etiam Basilius, oratione II. de jejunio, ait: *Minus periculosum est militi abjecto scuto ad aciem inimicorum fugere, quam homini christiano extra catalogum jejunantium inveniri*. Sanctus Ambrosius, serm. XXV. perpendit periculum Jonathæ, quod incurrerat dum contra præceptum patris sui, quod tamen ignorarat, parum mellis gustasset: siquidem ex patris sententia mori debuisset, nisi populus adeo reclamasset, I. Reg. XIV. Adjuraverat Saul exercitum ut ne quis comederet panem usque ad vesperam, donec ulcisceretur se de hostibus suis. Et ex toto exercitu cum viderent mel in via jacens, nullus applicuit manum ad os suum, ut vel paululum id gustaret, adeo timebant regis præceptum præter Jonatham, qui præceptum non audierat, sed postquam id violasset, et audisset, improbavit. Unde reus mortis a patre proclamatur. Jam vero jejunium quadragesimæ præceptum nobis est ab apostolis et primo, omnium a Sancto Petro, ut dicitur et scribit Abulens. Matth. cap. VI. q. CLII. Et deinceps nobis præceptum est ab omnibus pontificibus, adeoque etiam a Christo, cujus personam illi representant et directione eius reguntur. Quod si igitur exercitus Saulis universus abstinuit ad ejus præceptum et minas, nos non abstinebimus? Et si ignorans Jonathas, ait Sanctus Ambrosius, ibid. *indictum a patre jejunium, quia resolverit, morti addicitur: qui sciens indictum a Christo resolvit jejunium, quid meretur?* Hæc ille. Et si insuper quis præceptum hoc contemnere, vel in ejus contemptum id prævaricari audeat; quid quæso meretur ille? Exempla sunt plurima eorum, qui propterea graviter puniti sunt. Mart. Cromerus, l. V. histor. Polon. refert Polonos Nactum Pomeranorum arcem obsidentes, dum quadragesimam

non jejunando nec a carnibus abstinendo violarent, nocturnis umbris quasi hostili exercitu exagitados, et e castris evocatos occasionem dedisse obsessis, ut de nocte erumpentes castra eorum succenderent et magnam stragem ederent: Polonique re infecta discedere cogerentur. Similem stragem passi sunt Geusii referente Tilmano Bredemb. lib. VII. collat. sacr. c. XV. anno 1575. fer. IV. paschæ, quando ab Hispanis fusi sunt: eo quod hæretici illi Geusii per quadragesimam carnibus saturarentur contempta religione; Hispani vero quadragesimam religiose peragerent, prædicente illis vicino quodam parrocho, se quidem lætum, hostes vero triste pascha habituros.

Denique, a tergo flat ventus igneus e gehenna, qui aduret eos, qui nunquam jejunare et suæ ingluviei unquam detrahare volunt. Dicite enim mihi, quidnam damnavit epulonem evangelicum, ut inter flammam tartari æternam sitim et esuriam pati debeat? Non certe splendor vestium, nec apparatus convivii, (quis enim damnat eos omnes qui delicate vestiuntur et vescuntur?) sed nimirum id, quia *quotidie* epulabatur splendide, perpetua agebat bacchanalia, nunquam interrupt luxum, nunquam jejunavit, nihil unquam ori detraxit. Hoc ergo æternum jejunium haud dubie expectat eos, qui omnia excludunt jejunia, semper in popinis sunt; et forsitan etiam temporales aliæ plagæ, qualis comprehendit Hebræos in deserto, qui carnes desiderarunt et obtinuerunt quidem, sed ad suam perniciem et interitum.

CONCIO VI.

QUID FACIENDUM PER QUADRAGESIMAM.

I. Jejundandum. — II. Vigilandum. — III. Orandum. — IV. Frænanæ cupiditates. — V. Solitudini studendum. — VI. Pugnandum cum dæmone.

THEMA.

Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Matth. IV.

Christum Dominum lætanter et cum desiderio in desertum abiisse ad jejundandum, conjicitur ex Matth. cap. IV. ubi dicitur: *Ductus est Jesus in desertum a spiritu*: ex Marco, cap. I. qui scribit: *Expulit eum spiritus in desertum*: ex Luca, cap. IV. ubi dicitur: *Agebatur a spiritu in desertum*. Quis enim duceret, quis expelleret, quis ageret Christum in desertum, nisi proprius ejus Spiritus, qui paulo ante in baptismo super eum requievit

et qui a Patre et Filio procedit? Summa igitur promptitudine, summa alacritate Christus in deserto abiit: quia ut Ambrosius, in c. I. Lucæ ait: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Utinam vero et nos tali Spiritu acti ingressi essemus quadragesimam! Utinam non coacti; utinam non tristes, quo et ipsi filii Dei appellari mereremur, juxta id apostoli ad Rom. VIII. *Quicumque filii Dei sunt, spiritu Dei aguntur!* Credam igitur vos Spiritu sancto afflatos inchoasse hoc jejunium, si per nostram quadragesimam ea agere studueritis, quæ per suam egit Christus. Quænam vero illa? Audite.

I. Christus jejunavit, non sibi ad remedium, sed nobis in exemplum; quando enim Christus eguit jejunio cum nullam senserit carnis rebellionem: multo minus vinci ab ea potuerit? Quod igitur magister facit discipulo, hoc nobis Christus fecit. Citharæodus quispiam coram discipulo cithara ludens, non ludit propter se ut ipse disceat, sed ut discipulum doceat. Cithara corporis Christi optime concinnata erat: nulla ibi passionum intemperies, nulla appetitus rationalis et sensitivi, carnis et spiritus dissonantia: unde ad omnes virtutum actus et præcepta implenda expedita erat. Non ita corpora nostra in quibus contrarietas spiritus et carnis, per quam impedimur ne viam mandatorum Dei facile curamus: atterenda igitur caro, jejuniis tendendæ chordæ passionum, subjiciendi sensus rationi, ut cum spiritu et Dei voluntate concordent. Hoc fine quadragesima ab apostolis instituta, ut per eam corporis nostri fides accommodemus, quo postea in paschate lætissimum Alleluia, quod est angelorum canticum, canere possimus. S. Ambrosius, ser. III. in quadrag. ait: « Scriptum est (I. Joan. II.) qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare: si ergo vis Christianus esse, debes, quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, quadragesimam jejunavit: tu non vis quadragesimam jejunare, qui peccas? Ille inquam peccatum non habebat, sed pro nostris jejunavit peccatis: qualis ergo apud tuam conscientiam Christianus es? Cum Christo pro te esuriens tu prandes? Cum Salvatore pro te jejunante reficeris? » Hæc Ambros. Rudolphus Austriacus imperator cum adversus Ottocarum Bohemiæ regem castra movisset et gravi commeatu (potus præsertim) inedia laboraret, ferunt colono, qui forte sacis messoribus siceram deferebat, fuisse ablatam et Rudolpho adlatam; qua visa: *Reddite*, inquit, *homini vasculum, ego enim non mihi, sed exercitui sitiebam*; quo audito exercitus una cum imperatore suo sitim fortiter toleravit, Æneas Sylvius,

lib. III. comment. in res gestas Alphonsi. Ecce abstinentia imperatoris totum exercitum animavit ad inediam et sitim fortiter tolerantiam: quomodo igitur cum Christo duce nostro non alacriter jejunemus, cum videamus eum non sibi, sed nobis esurisse?

II. Vigilabat, quia nemo dormiens dicitur jejunare, Christus autem jejunasse dicitur et jam quadraginta noctibus: nec invenit eum tentator dormientem, sed vigilantem. Ac quo solertius vigilaret, humi procul dubio cubabat (quomodo enim in deserto lectum invenisset?) ac proinde sæpissime excitabatur. Sciebat nimirum Dominus ibi maximas vigere tentatoris insidias, cum pie volunt homines vivere. Non tentabatur in cunis, non in templo inter doctores, non degens apud parentes, non in baptismo, sed jam tempore jejunii et austeritatis: quia tunc maxime insidiatur dæmon homini, cum ab eo vult homo per pœnitentiam et vitæ innovationem recedere. Ita etiam Pharo tunc maxime laboribus et flagellis atterebat Israelem, cum is servitutis jugum excutere et Deo in deserto sacrificare parabat, Exod. V. Ingressi sumus et nos jejunii theatrum, et conabimur, si qui fuimus in dæmonis servitute, ab eadem nunc recedere per pœnitentiam. Unde is omnem movebit lapidem, ut hoc impediatur: pulvinar nobis substernet, quo in peccatis pristinis sopiti conquiescamus: sed vigilandum nobis et identidem expergiscendum est, peccata præterita in memoriam revocanda, conscientie remorsus observandi et denique per confessionem tollendi. Quis enim, quæso, dormire posset, si sciret domum suam hostibus undique obsessam esse? Accesserat sæpius aliquando ad lectum S. Bernardi mulier impudica pudicitiam ejus tentatura. Et quid agit Bernardus? *Latrones, latrones*, clamat, *quoties illa venit, eoque clamore mulierem ejecit, ut est in ejus vita*. Vigila igitur et tu hoc tempore, et latrones animæ tuæ sedulo observa: ac si quos deprehenderis latrones, latrones clama eosque per confessionem ejice. Proderit ad hoc si corporali etiam vigiliæ plus solito tribuatur, eaque sacræ lectioni et orationi impendatur. Et quomodo duce vigilante stertere audent milites? Audite Uriam industrium militem, II. Reg. XI. *Dominus meus Joab, inquit, super faciem terræ manet, at ego ingrediar domum meam ut dormiam?* Maluit enim dormire et jacere ante portam regis, licet juberetur ab eo domum ire et in lectum suum concedere.

III. Orabat et meditabatur, quia ducebatur a Spiritu sancto in desertum locum, scilicet orationi et meditationi aptissimum, pari ratione hoc tempore orationi et contemplationi instantius

vacandum : propterea enim Ecclesia nunc preces horarias auget, ut dum corpori cibum dimidium subtrahit, animæ cibum conduplicet : utque maturius ad preces surgere, et expeditius ac diutius, liberi a vaporibus et fumis cerebri, ac negotiis quæ crebrior comestio causat, purius et attentius orationi vacare possemus, jejunium instituit. Pari modo eundem cum Christo in desertum ut utiliter oremus. Sed quodnam hoc desertum? Templum dico ego : nam primo, deserti instar aptissimum est orationi. Secundo, desertum est hoc tempore maxime templum, id est, horridum ob arma passionis Christi in eo passim exposita, altaria lugentia, cantica tristitiæ; quæ omnia singularem in nobis devotionem et compassionem excitare, et meditationem adjuvare debent. Deserta denique dici Ecclesia debet, quia proh! sæpe nimium deseritur, quod queritur Dominus Agg. I. *Domus mea deserta*, inquit, *et vos festinatis unusquisque in domum suam*. Huc, huc igitur utinam vos duceret vester spiritus! Sed o quam diversi sunt multorum spiritus! Spiritus Christi bonus duxit Christum ad orationem, ad jejunium, ad vigiliis : spiritus peccatorum malus alio eos ducit, spiritus vanitatis ad confabulationes, spiritus gulæ ad comessiones, spiritus lasciviæ ad choreas, spiritus avaritiæ ad aleas et ludos. Ejusmodi spiritus erant, qui ducebant et præcipitabant in mare porcos, Matth. VIII. *Impetu enim abiit grex ille in mare*, ut ait Matthæus. Ita nimirum illi, qui porcorum vitam degunt et ventri tantum vivunt, tandem in mare peccatorum aguntur, et submerguntur.

Desertum etiam quoddam vult Augustinus, ser. LXXVII. de temp. ipsum corpus Christiani esse, cum non impletur cibus, non poculis irrigatur, sed arentis inedia squalore negligitur. « Desertum (inquit) est corpus nostrum cum abstinentia marcescit caro, siti pallor obducitur, et contemptu rerum totius hominis species inculta sordescit. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri cum nostram terram fame squalidam et siti aridam esse reperit. » Hæc August.

IV. Erat cum bestiis, ut inquit Marcus. Sed quid cum iis fecit? Non dubium certe quin ad Christum feræ turmatim accurrerint eique demisso vertice homagium præstiterint atque imperanti per omnia paruerint ad nutum, quemadmodum primo homini in paradiso et sanctis multis, S. Francisco, S. Theodoro, patri Oviedo in India, etc. Nec dubium quin omnes fuerint inter se pacificæ : et quin Christo eunte ierint, stante steterint, cubante procubuerint, adeoque se ad pedes ejus abjecerint. Utinam simili modo

versaremur nos hoc imprimis tempore cum efferatis nostris cupiditatibus! Bestiæ nostræ passionibus sunt, quæ ante peccatum rationi ad nutum paruerunt, quemadmodum bestię Adamo : post peccatum vero Adami rebellare ceperunt rationi, (uti et bestię eidem) et vagari in corpore nostro sine lege solent, veluti in silva feræ. Tales sunt, amor et odium, delectatio seu gaudium et dolor, spes et desperatio, audacia et timor. Demandæ igitur sunt hæc bestię, et ad subjectionem reducendæ, ita ut rationem sequantur, ea procedente procedant, stante stent, etc. Jam si forte in te leonem habes, iram scilicet adversus proximum rugientem, impera illi ut sistat et pareat; si habes in te leporem, qui ad vocem aviculæ tremat, timorem scilicet poenitentię, confessionis, impera ut ne timeat; si lupum rapacitatis et avaritiæ, impera ut restituat; si habes in te pantheram voracitatis et ebrietatis, impera ut abstineat; si ursum ignaviæ et somnolentiæ, impera ut prodeat ad orationem, communionem, missam. Certe S. Francisco jubente ut cantarent aviculæ, cantarunt : ut tacerent, tacerunt. Nec dubito quin idem et multo magis fecerint Domino : sic ergo et nos imperemus passionibus nostris : amoris ut Deo inhæreat, odio ut vitia detestetur, delectationi ut a noxiis rebus absteat, dolori ut Christo patienti compatiatur, audaciæ ut peccantes publice reprehendat, timori ne ob asperitatem poenitentię terreatur.

V. Erat solus, præterquam cum angelis. Reliquo tempore in civitatibus morabatur cum hominibus, nunc in deserto cum angelis conversatur, quia *angeli accesserunt ad eum*, ait evangelista : nimirum ei inserviebant et inter alia cibos afferbant, secundum Abulens. Jansen. et alios ibi. Similiter et nos hoc maxime tempore ab humana conversatione ad angelicam, quantum fas est, transeamus. Habet homo in anima sua quid angelicum, partem scilicet animæ superiorem, quæ res salutis tantum tractat, et inferiorem, quæ temporalia curat : illa res angelicas, hæc humanas. Porro toto fere anno inferior negotiatur, quomodo vestiamur, epulemur, ditemur, honoremur, ascendamus, discamus, etc. vix unquam superior : cui proinde nunc vacandum est, quomodo scilicet vitia deploremus et extirpemus; virtutes implantemus et merita cumulemus. Aviculæ toto tempore in aere morantur vel arboribus, cibi tantum causa in terram descendunt : nos animæ cibum nunc quæramus, qui tota vita corpori invigilamus. Sed ubi? In deserto et solitudine cordis nostri discedamus nunc ab hominum societatibus, e tumultibus rerum et curarum sæcularium; componamus inte-

riorem hominem, gressus nostros aspiciamus; elevemur in altum cum angelis et aviculis ut cordis nostri rimas et defectus proprios intueamur. Toto tempore in sæculo velut in molendino sumus, ubi præ tumultu sæculi nos ipsos et reclamantem in nobis conscientiam audire non possumus : exeamus ergo nunc ad quietem animæ, et quemadmodum Daniel oraturus intravit domum suam obstructis aliis fenestris, easque tantum aperuit, quæ erant contra Jerusalem et templum, Daniel. VI. ita et nos obstruamus nunc sensus, curas, et cogitationes sæculi quæ ducunt ad Babylonem, id est, mundum, et oculum illum aperiamus, qui res salutis considerat; siquidem in tumultu et foro sæculi non licet nobis Deum prout decet colere, animæque nostræ curam gerere.

VI. Pugnabat cum tentatore. Tentator iste simili fere modo tentat homines hoc tempore, quo tentavit Christum, et primo quidem, de gula, ut jejunium frangatur, cibi veliti comedantur; idque multis persuadet, quasi delicata eorum complexio id exigat aut corporis imbecillitas; suadet ergo ut ex lapidibus panes faciant, ut asperitatem jejunii in epulis mutent. Secundo, de præcepto Ecclesiæ alio, quo per confessionem peccata expiare et per eucharistiæ susceptionem expiationem illam comprobare jubemur. His suadet ut mittant se deorsum, id est, ut sine prævio examine conscientię, sine timore gehennæ, sine metu peccati, inconsiderate et audacter fictionem sacramento opponant, peccata sua vel non disquirant vel taceant. Tertio, de vitæ renovatione, qua peccata pristina deseri præcipiuntur : his enim ostendit divitias et delicias sæculi, scortum, bona injuste parta, inimicitias et odia : sicque affatur : Quid? *Itane tu nos deseres?* Si pellici valedicas, quomodo ejus præsentia carebis? Si bonis injuste partis, quomodo pro statu tuo vives et filiis prospicies? Si odio, quomodo non famæ tuæ ignominiam paris, qui non ulciscaris? Et ita in pluribus aliis. Sed pugnandum est contra tentatorem, et quibus aliis telis quam quibus Salvator usus? Primo, gladio verbi Dei seu lectione sacrorum librorum? Et sedula concionum auditione; quomodo enim alias argumentaberis contra ipsum dicendo : *Scriptum est*, vel dictum est in concione, nisi legeris vel audieris verbum Dei? v. g. si de jejunii violatione tenteris, dicito : *Dictum est vel scriptum : Quoniam qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* : item : *Non in sola carne vivit homo*; sed in aliis etiam cibus. Si de poenitentię et confessionis fictione : *Dictum est : Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Si de forni-

catione : *Fornicatio et omnis immunditia nec nominetur in vobis*. Si de honorum alienorum retentione : *Dictum est ab Augustino : Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum*. Si de inimicitia et odio : *Dictum est : Qui odit fratrem suum occidit animam suam, etc.* Secundo, exclusivæ tentationum, dicendo : *Vade Satana*, nimirum, in ignem æternum, ut exponit Hieronymus, in cap. IV. Matth. *His enim verbis*, ait Origenes, in cap. XVI. Matth. *Dominus hostem a se repulit, nec aliam adjicere tentationem permisit*. Cæterum alii jubent præire tentatorem et ipsi eum sequuntur, qui scilicet ei consentiunt. Alii ad latum eum ire jubent, qui cogitatione sola delectari cupiunt. Alii eum retro sequi jubent, qui tentationem radicatus non tollunt, sed paululum ab oculis remouent, et mox ad eam se iterum vertunt. Alii denique cum Christo longissime a se remouent tentatorem. Noli ergo multum cum eo verbocinari, ne cum Eva decipiaris : *Vade Satana*, dic.

Hæc qui observaverit per instantem quadragesimam, ille in virtutum studio præclare se exercebit : habiturus tandem angelos ad se accedentes et victoriæ palmam offerentes.

CONCIO VII.

DE INSTITUTIONE JEJUNIORUM IN ECCLESIA, CUR CERTIS TEMPORIBUS FIANT.

I. Feria sexta et sabbato. — II. In quatuor anni temporibus. — III. In vigiliis festivitatum. — IV. In quadragesima : 1. Quia anni decimæ. 2. Ob exemplum Christi. 3. Ob numeri mysterium. 4. Quia numerus poenitentię. 5. Quadragesima, cur hoc tempore?

THEMA.

Cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus postea esurivit. Matth. IV.

Qualis fuerit avis, quæ in hodierno evangelio Christum tentavit ea voce : *Dic ut lapides isti panes fiant*, ex cantu facile dignoscitur. Eadem enim illa est, quæ olim Evam in paradiso simili cantu illexit : *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* Eademque illa est quæ etiamnum multos tentat dicendo : *Cur toties jejunatis? Cur feria sexta et sabbato? Cur quatuor temporibus? Cur in vigiliis? Cur per quadragesimam?* Hæc enim etiamnum per hæreticos nobis occidit et quidem Scripturam objicit, ad Galat. IV. *Dies observatis et menses et tempora et annos : timeo, ne forte sine causa laboraverim in vobis*. Sed respondendum est nos non observare dies jejuniorum ritu Judæorum. Dicimus

enim omni tempore bonum esse jejunare; sed cum paucorum sit semper jejunare, certos ab Ecclesia dies esse statutos tribus de causis. Primo, ut unanimiter jejunemus, et sic unita virtus fortior sit. Secundo, ut jejunium sit Deo gratius, quia ex temperantia simul et obedientia procedit. Tertio, cum Ecclesia melius noverit quando expediat jejunium, et ægro vivendum sit juxta præscriptum medici, magis salutare arbitramur jejunium, quod ex præscripto Ecclesiæ peragimus. Cur vero his vel illis temporibus jejunandum esse Ecclesia censuerit, videbimus.

I. Bis abstinemus in hebdomade. Primo, feria sexta, quod ea Christus passus, crucifixus et mortuus sit, ex S. August. epist. LXVIII. Inaudiit enim Ecclesia et in corde suo reposuit quod Dominus dixit Matth. IX. discipulos suos tunc jejunaturos, cum ablatus fuerit ab eis sponsus. Atqui feria sexta ablatus est a nobis sponsus animarum nostrarum. Cum filius Davidis adhuc infans desperatus jaceret in infirmitate, jejunavit David et jacuit seorsum in terra, nec oblatos sibi a servis cibos accipere volebat, II. Reg. XII. Quanto æquius est, uti nos jejunemus eo die quo Dominus noster cum morte conflictabatur in cruce! De cane quodam prodit Plinius, I. VIII. cap. XL. qui Romæ ad occisi domini sui cadaver in scalis Gemoniis projectum pervigil jacebat, nec quocquam cibi oblato gustare volebat, quamdiu dominum suum exanimem vidit: quinetiam panem sibi oblatum ad os domini deferebat magna spectantium corona. Denique, projectum in Tiberim heri cadaver prosecutus sustentare conabatur. Quid igitur nos facere convenit eo die, quo Domini nostri mortem recolimus et quasi oculis spectamus? Nonne is etiam illo die oblatum sibi myrrhatum vinum gustare noluit? Nonne eo toto die jejunavit ut ne micam quidem sumpserit? *Jejunavit in ligno*, ait Chrysost. serm. de jejun. *accepit quæ non debuit, posuit corpus pro eo, quod accepisti*: et paulo infra: *Fac martyr sis pro eo, qui pro te martyr fuit, morere pro eo, qui pro te mortuus est*. Sic ille. Sabbato item merito jejunamus, quod cum illo die sepultus jacuerit redemptor noster, recte lugubris dies hic habeatur; quam causam adducit Innocentius ante mille ducentos annos, in ep. ad Decentium episcopum. Nec dubium videri potest discipulos Christi et mulieres ei devotas sabbato illo jejunasse, desiderio resurrectionis illius. Decet igitur ut nos quoque Dominicam resurrectionem in jejunio præstolemur et appetitum carnis cum Christo quodammodo sepeliamus. Et si Saul, I. Regum XIV. cibum exercitui prohibet, donec victoriam reportet, dicens: *Maledictus vir qui co-*

mederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis, cur non etiam dicamus: *Maledictus qui non jejunaverit donec viderit Dominum suum triumphantem*? Certe evangelium secundum Hebræos appellatum, tradit Jacobum Alphæi jurasse se non comesturum panem a die quo liberat in cæna calicem, donec vidisset resurrexisse Dominum, ei proinde Christum peculiariter apparuisse dixisseque: *Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis a dormientibus*. Refert S. Hieronym. de viris illustribus in Jacobo. Quamquam hoc apocryphum esse non sine causa videtur aliquibus.

Neque hoc nobis nimium esse debet; si enim Pharisæus ille jejunabat bis in sabbato, id est, hebdomade: cur non et nos Christiani? Cæterum a carne tantum hoc biduo abstinemus, non omnino jejunamus, quia caro, id est, humanitas Christi sola passa et mortua est. Quemadmodum ergo filii Israel postquam Jacob in femore tactus est et nervus ejus emarcuit, nervum deinceps non comederant, ut habetur Genes. XXXII. ita non sine ratione a carne abstinemus iis saltem diebus, quibus Christi caro undique vulnerata emarcuit in cruce et jacuit in sepulcro.

II. In quatuor anni temporibus jejunamus. Primo, ut auspicemur anni tempora a cultu divino, ut asserit S. Calixtus papa ante 1300. annos in ep. ad Bened. vernum a quadragesima, æstivale a jejunio pentecostes, autumnale a jejunio septembris, hiemale a jejunio decembris. Et quia quodlibet anni tempus habet tres menses, ideo tres singulorum dies Deo quasi primitias damus. Secundo, ut Deum pro aeris temperie, temporum tranquillitate et frugum incremento deprecemur. Primitiæ enim Deo dantur ut sequentes fructus a Deo prosperentur. Tertio, quia per totum annum semper purificatione indigemus, quia per jejunium peccata nostra deleamus, ut vult S. Leo, ser. IX. de jejunio septimi mensis. Quarto, quia iis temporibus clerici ordinantur, quod ut caute et salubriter fiat jejunium orationi adhibendum, uti ab apostolis, Actor. XIV. factum esse legimus. Docuit hoc Dominus dicens, Luc. X. *Messis multa, operarii autem pauci: rogare ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam*. Unde enim hæreses nostri temporis, nisi ex defectu doctorum et piorum pastorum ortæ sunt?

III. In vigiliis festivitatum Christi et sanctorum. Primo, propter mysterium ut admoneamur per multas tribulationes nobis introeundum in æternam festivitatem, sanctorum illorum exemplo, quorum festa colimus. Sic enim discimus quæ sit vera ad cælum via, nimirum a tristitia ad lætitiæ. Unde Sanct. Bern. in serm. de vig.

S. Andrea: « Quid est enim, inquit, quod jejunii solemnia prævenimus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe solemnibus lætitiis est, qui statutam vigiliæ abstinenciam non observat. Est autem universum præsentis pœnitentiæ tempus vigilia quædam solemnitatis magni et æterni sabbati quod præstolamur. » hæc ille. Nunquam foret nobis pascha tam jucundum et optatum, si non præcederet asperitas jejunii quadragesimalis; ita in cælo non celebrabit pascha, qui hic non celebraverit quadragesimam: nec habebit ibi festum, qui non habuerit hic vigiliam.

Secundo, propter rei convenientiam, ut sic ad festivitates celebrandas earumque gaudium et fructum percipiendum aptiores et digniores redamur. Diebus enim jejuniorum corpus non opletur cibis, non celebrantur convivia, non choreæ, etc. quæ omnia crebro fierent et homines indispositos redderent, si jejunium non esset in pervigiliis. Quis autem nescit corpore repleto spiritum festivitatem suam celebrare minime posse? Caro repleta somnum adducit, libidinem excitat, variis et inutilibus cogitationibus onerat, stupore quodam cerebrum sopit et offuscat, atque ita ad audiendum verbum Dei, ad orationem, meditationem, vigiliam et attentionem ineptum reddit, gratiæque divinæ influxum arceat: quemadmodum crassi illi vapores qui de locis humidis ascendunt, cælum nubibus obducunt et radios solis, ne ad nos penetrent, impediunt: sic enim et carnis repletio nubes malorum desideriorum et cogitationum, vapores pigritiæ adducit radiosque divinæ gratiæ et luminis quos in festivitatis percipere possemus impedit. Festis diebus corpore et spiritu Deum laudare eique servire deberemus; quemadmodum David faciebat dicens: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vicum*, Psal. LXXXIII. Debent igitur cor et caro ita attemperata esse, ut caro non impediatur spiritum. Unde sicut citharam vel testitudinem prius attemperamus, antequam in ea ludere incipiamus, ita in vigilia caro nostra per jejunium attemperanda est, ut spiritui non obstat, sed potius concordet, eique in festivitate consonet. Quis autem nescit citharam et testudinem inanem esse debere, ut sonitum edat clarum et suavem? Neque tibi persuadeas te repleto ventre, festivum Deo carmen canere posse: sed potius te obtusum et ineptum fore, magisque de somno et libidine quam de oratione et verbo Dei cogitaturum.

IV. In quadragesima, non ob unam causam. Primo, ut hoc numero decimas annui temporis

divino cultui pendamus. Etenim anni dies sunt trecentos sexaginta quinque et a dom. I. quadragesimæ usque ad pascha, demptis dominicis (quæ abstinenciæ sunt, non jejunii dies) triginta sex feriæ, decima pars scilicet dierum trecentorum sexaginta quinque. Ita S. Gregorius, ho. in dom. I. quad. « A præsentis, inquit, die usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt. Quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex dies dominici abstinenciæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta et sex dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta et sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, ut qui nobismet ipsis per acceptum annum vivimus, auctori nostro nos in ejus decimis per abstinentiam mortificemus. Unde, fratres charissimi, sicut offerre in lege jubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite et decimas dierum. »

Secundo, propter exemplum Christi, qui jejunando quadraginta diebus sanctificavit eum numerum quodammodo, sicut aquas suo contactu in ablutionem peccatorum. Ita S. Augustinus, sermon. LXXVII. de tempore. Ut enim aqua transiens per mineras earum saporem imbibit et medicam virtutem acquirit: ita et jejunium quadragesimale propter exemplum Christi factum esse efficacius ad sanctificationem obtinendam non injuria credimus: quomodo nec dubitamus crucem ex contactu Christi factam esse salutarem, sanctam et venerandam.

Tertio, propter hujus numeri mysterium. Imprimis decem præcepta quatuor modis violamus, cogitatione, ore, opere, omissione: jure igitur pœnitemus quaterdecies in jejunio. Secundo, quadraginta diebus diluvium duravit: nos ergo ut diluvium gehennæ effugiamus, totidem diebus jejunamus. Tertio, quadraginta annis Israel peregrinabatur in deserto: nos totidem diebus esurire volumus, ut per hoc desertum ad patriam emergamus. Quarto, Moyses ante legem acceptam, Elias ante evectionem suam quadraginta diebus jejunarunt: nos itidem Dei legem observemus, indeque ad cælum evehi mereamur. Hinc quadraginta illi martyres sub Licinio frigore enecti, tam ardentem precati sunt Deum, ut hunc eorum numerum, propter ejus sanctitatem, conservare vellet; obtinueruntque ut uno ex eis deficiente, aliunde mox substitueretur alius, repente ad Christum conversus et martyrii compos factus.

Quarto, quia hic numerus pœnitentiæ typus est, ut ait S. Hieronymus super Ezechielem, et